

N° 141. — *Traité entre la France et l'Angleterre au sujet de la réparation des déprédatations respectives (1).*

Boulogne, 24 mai 1497. (Corps diplomatique.)

**P**ræfati oratores supplicationum coram eis porrectarum multiplicatatem intuentes, eas in quatuor genera distribuerunt.

Primum de his fuit, super quibus coram aliis judicibus erat in causâ conclusum lite ita instituta, ut nihil præter sententiæ calculum desiderare viderentur; has siquidem oratores, quantùm in ipsis fuerat, definierunt, ac in ea parte suo officio fungentes terminaverunt.

Secundum genus querelarum fuit de spoliationibus damnis et interesse, super quibus lis nondum mota est coram aliquibus judicibus: subest tamen actu materia, ac lis movenda speratur, quas, quoniam in presenti dicti oratores, utpote causarum meritis non liquidatis, terminare non possunt, æquum visum est per principes debere deputari judices in civitatibus aut oppidis utriusque regni, locorum, terrarum et dominiorum eorumdem portibus propioribus, aut in locis maritimis damnificatis commodioribus, in quibus tamen spoliatores, piratae, et turba navalis non dominantur, qui quidem judices lites coram eis movendas tam super querelis jam natis et coram dictis oratoribus propositis, quam super quibuscumque etiam jam natis, coram dictis judicibus proponendas infra certum competentem terminum, pro causarum et negotiorum qualitate brevem, annale tempus nullo modo excedentem, finali sententiâ decidere præcipiantur, tam super damnis et spoliationibus, quam interesse partium; quorum judicum decreta, jussus et sententiæ tam interlocutoriae quam diffinitivæ, incontinenti et indatè per dictorum principum officiarios, et si opus fuerit manu militari, executioni demandabuntur omni penitus appellationis remedio sublato, quantùm, ad querelas jam ortas, ut præmissum est duntaxat; aut si id principibus videatur præfati judices pacis tractatum insequendo, ab ejusdem pacis conservatoribus constituantur. Licebit tamen parti condemnatae, à tali sententiâ ad supremum consilium principis, per viam supplicationis pro reformatio-

(1) Cet acte nous fournit sur le droit maritime de ce temps des notions importantes, et sort de la ligne ordinaire. Il a été ratifié par le roi d'Angleterre le 15 janvier.

gravaminis per eam prætensæ, recurrere, ubi infra sex menses; aut alias infra brevissimum tempus secundum quod commodè fieri poterit, finali sententiâ causæ hujusmodi terminabuntur; prædicta tamen sententia interim cautione præstita per partem quæ abstinebit secundum formam juris executioni demandabitur.

Et quia difficile, aut propè impossibile erit spoliatorum personas apprehendere, an domicilia eorumdem cognoscere, satis erit eos citari, sive adjornari in partibus aut oppidis suo principi subjectis, loco ubi damnum illatum est propioribus, per proclama generale, præconis voce, personante tubâ, et affixione querelæ, aut aliter secundum modum et formam publici edicti in utroque regno, locis, terris, et dominiis eisdem principibus subditis et subjectis fieri soliti et consueti: quæ quidem præconisatio geminata, competenti intervallo non minus quindecim dierum, vim peremptionis habebit; tenebunturque judices locorum, damnificatis postulantibus, illam facere fieri idoneè, et dare facere præconisationis certificationem, quærerit per omnia pars autoritatis, roboris, et effectus, ac si reus super hoc personaliter citatus fuisse.

Tertium verò genus precum erat de iis super quibus processus per appellationem in curiis supremis pendent, de quibus iidem legati censuerunt principes (si tamen ipsis ita videbitur) statuere debere certum etiam brevem terminum semestre tempus non excedentem, infra quem dictæ lites, si in illis sit in causâ conclusum, dirimauntur, et finali sententiâ partibus instantibus terminentur. Quod si in illis sit minime conclusum, ordinabuntur duo vel tres supremarum curiarum conciliarii, qui partes audiunt, lites discutant, et instrui faciant, donec in causa sit conclusum, cui rei etiam certus terminus, videlicet semestre tempus, statuatur; et exinde intra alios sex menses per judices supremarum curiarum finali marte terminentur: quod si factum non erit, ex tunc causæ illæ ad consili dictorum principium evocabuntur, illic modo et tempore supradictis terminandæ.

Quartum genus supplicationum fuit super spoliationibus, damnis, injuriis, et interesse, de quibus lites pendent coram judicibus inferioribus, quas damnificati conqueruntur in suum dispendium suprà modum prolatas, desperantes etiam illum unquam finem imponi propter appellationem et aliorum incidentium multiplicitates: visum itaque est eisdem legatis principes suâ auctoritate debere illas evocare, et ad judices

in locis maritimis constituedos, si tamen hoc actores desideraverint, cum processibus remittere, qui procedere habeant, forma est modo supradictis; præcipiaturque dictis judicibus inferioribus sub pena marcarum argenti fisco regio applicandorum, quod processus coram eis habitos et factos ad partium requisitionem incontinenti transmittant ad dictos judices in locis maritimis deputandos, nec se quovis modo in ea parte difficiles reddant; et nihilominus si forte in his causis judices ipsi postea processerint, eorum invalidus et irritus sit processus.

Et quia opus est utriusque principis subditos alteri preces et libellos supplicatorios porrigeret, ut inde rescripta principalia obtineant: visum est pro communitate subditorum in utriusque regis consilio certos consiliarios deputari, ad quos utriusque regis subditi sciant se in promptu aditum habere posse, et a quibus sollicitatores de beneplacito principis possint certiores reddi.

(2) Item. Quoniam damnificati conqueruntur in alterius principis regno, Locis, Terris, et Dominiis, se parum tutos, dum jus suum prosequantur, curabunt legati quod litigitoribus autoritate regia per ipsos judices in portibus sive locis maritimes deputandos plena detur securitas.

Et quia diversæ porrectæ sunt querelæ super spoliis et depraedationibus in terra contra amicitiam et pacem antehac perpetratis et commissis, provideatur quod ipsi judices peræque et pari modo cognoscere et determinare valeant de eisdem spoliis, sicut cognoscere et sententiare possent de spoliis antehac in mari commissis.

Et ut impostorum latrociniis piraticis obvietur, ac sincera pax, firma, inviolataque amicitia inter eosdem principes, eorumque subditos jugiter perseveret, cantum prospectumque est per utriusque principis oratores pro futuris, ut sequitur.

Impruniis, quandocumque aliqua navis indigena exitura est ab aliquo portu regnum Franciæ sive Angliæ terrarum, locorum, aut dominiorum eisdem subditorum, admiraldus, viceadmiralibus seu eorum vices gerentes talis portus, oppidi, villæ, aut civitatis undè exitura est, capient idoneam cautionem à dominis, capitaneis, exercitoribus, praefectis, magistris, seu bursariis navis hujusmodi ad valorem navis apparatus, et victualium ejusdem quod exercitor, magister, marinarii, et nautæ, ac omnes in eâ navi existentes, servabunt pacem erga quoscumque subditos alterius principis, et nullam eisdem injuriam et damnum seu

violentiam in terra , mari , aquisve dulcibus , aut in portu aliquo , facient , inferent , aut inferri procurabunt .

Præterea præfecti , magistri , exercitores , et cæteri præeminentiam in navi habentes , non suscipient aliquos vectores , naujas , aut veros militares , nisi prius illos sisterint et exhibuerint coram admiraldo , viceadmiraldo , aut eorum vices seu officia gerentibus , qui illorum nomina in publico registro super eo conficiendo scribi facient .

Et antequam navis hujus modi portum egredi permittatur , omnes ibi existentes , et qui profecturi in ea sunt , jurabunt solemniter coram dicto domino admiraldo viceadmiraldo illa in quam profecturi sunt , navigando , eundo , stando , aut redeundo , nullum damnum , vim , injuriam facient , inferent , aut inferri procurabunt alterius regis subditis , terris , aut dominiis , sive per terram , mare , aut aquas dulces .

Simili quoque juramento solemniter præstante promittent , quod de qualibet prædâ , capturâ , manubiis sive spoliis , adducant duos aut tres viros in captâ navi præcipuum locum obtinentes , ut magistrum , submagistrum , patronum , aut hujusmodi conditionis , quos admiraldo , viceadmiraldo , aut eorum officiariis , exhibebunt , ut per eosdem , aut eorum alterum debite examinetur , ubi , super , quibus , et qualiter navis , sive bona capta sint , nec facient , aut fieri permittent alias prædarum , spoliarum , mercium , aut bonorum per eos capiendorum divisiones , partitiones , traditiones , permutations , alienationesve , priusquam se viros captos , bona et merces integrè dominis admiraldo viceadmiraldo , aut eorum vios gerentibus repræsentaverint , qui de illis desponi , si æquum putabunt , permittent , alias nihil hujusmodi permissuri .

(3) Item . Jurabunt . quod postquam reversi fuerint , sive appulerint aliquem portum dicti regni undè exierint , cum suis navibus apparatus et spoliis , si quæ capturi sint , incontinenti et indilatè eidem reddent certiores admiraldum , viceadmiraldum seu eorum officiarios illius portus à quo egressi sunt , de eorum prædâ , spoliis , mercibus , et bonis , sine quorum vel alterius eorum officiariorn decreto et permissione non permittentur aliquid ex mercibus transferre , permutare , vendere , vel alienare .

Ad quæ implenda et integrè observanda dictus capitaneus , magister , bursarii , socii , et alii præminentiam in navi habentes , se obligabunt , et fidejubebunt per corpora et bona , unus pro aliis omnibus , qui unâ profecturi in navi sunt .

**De quibus securitatibus et cautionibus confici facient publicum instrumentum, quod admiraldo, viceadmiraldo, aut earum officiariis, tradent, ac simile ab iis capient, ut quocumque delati fuerint inde abire liberè permittantur.**

(4) *Item.* Tenebuntur dicti capitanei, magistri, submagistri, exercitores, socii, bursarii, et alii præminentiam in navi habentes tradere cautionem idoneam de his inviolabiliter observandis, usque ad estimationem navis, apparatus, et victualium, alias, et nisi omnia præmissa impleantur, non permittetur illa navis abire.

Insuper edicto publico interdicetur sub pœnis incarcerationis corporum, et confiscationis bonorum, mercatoribus, aut aliis cuiuscumque statutis, conditione existant, ne emant, dono, permutatione, aut alio quovis titulo seu colore, accipiant, celent, occultent, teneant, receptent, aut hujusmodi fieri procurent, aut permittant merces aut bona deprædata quæcumque abducta mari aut equam admiraldus viceadmiraldus, aut eorum vices gerentes, declaraverint prædam et capturam justas, justi et legitimi lucri esse.

(5) *Item.* Præfati admiraldus, viceadmiraldus, et eorum vices gerentes, teneantur infra quadraginta dies à die requisitionis aibi factæ per partem damnificantem, computandas, exequi prædictam obligationem, postquam de hujusmodi spolio sibi constituerit contra dominium, possessorem, magistrum, exercitorem, seu commissarium navis, et eorum sidejussores, qui tale damnum intulerint.

Quod si compertum sit, prædam ab alterius regis subditis, terris, regnis, sive dominiis abductam et ablata, causâ summarie sine strepitu et figurâ judicii discutietur indelatè, bona capta et interesse restitui spoliatis jubebuntur. atque sententia, que per admiraldum viceadmiraldum, seu eorum vices gerentes, tam contra capitaneos illos, magistros, socios sive bursarios, et alios præminentiam in navi habentes, feretur, quin etiam, contra sidejussores, juxta tenorem obligationum in ea parte prætitarum, et per admiraldum, viceadmiraldum, vel eorum officiarios receptarum, incontinenti per eosdem judices, sive eorum alterum, demandabitur executioni; et si ab interlocutoriis dictorum judicium partes appellare contigerit, nihilominus super principale usque ad sententiam definitivam inclusivè, appellacionibus illis non obstantibus, procedere poterunt. Sed si sententia super bonorum restitutione seu principali feratur, illa executioni demandabitur, tractatum pacis insequendo, appella-

tionibus etiam quibuscumque non obstantibus, poterit tamen supplicari ad consilia principum modo supradicto, scilicet cautione praestita ab hac parte, contra quam supplicabitur de bonis captis restituendis in eventum contrariae sententiae, et a parte supplicante, de expensis, damnis, et interesse, si in causa succumbunt. In quibus quidem consiliis, sicut supra cautum est, causa infra sex menses, aut aliud brevissimum tempus, terminabitur.

(6) *Item.* Quod Judicibus supremarum curiarum præcipiatur, ne inhibeant aut alio quavis modo se intromittant in his causis maritimis, etiamsi ad eos appelletur per alteram partium de dictis judicibus, inferioribus, vel maritimis.

(7) *Item.* Provideatur per litteras regias ad admiraldum vice-admiraldum, et eorum vicegerentes taliter, quod ipsa omnia et singula præmissa observent, et observari faciant, publicabunturque super his principum decreta in portibus et locis maritimis utriusque regni.

Et ne res diutiùs in dispendium subditorum pendeat, æquum visum est, ut prædicti principes expedire facent litteras suas patentes, quas reddendas curabunt, videlicet christianissimus Francorum rex, Boloniæ; illustrissimus vera rex Angliæ, Calesiæ, prima octobris, quibus se omnia et singula præscripta, capitata, rata et gratu habere significabunt, unâ cum nominibus judicum, et designationibus locorum constituendorum.

Quod si articulos prædictos in totum aut partum confirmare voluerint, certiores se invicem infra octavam septembres proxime insequentis propriis litteris et nuntiis efficient.

Acta hæc fuerunt Boloniæ, per dictorum principum legatos, in cuius rei testimonium signa et nomina subscripserunt, et apposuerunt die 24 maji, anno Domini 1497.